


9 + 10 / 87

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 67

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

De mendis typographicis

Cari legentes

Apud nos Helvetios proverbium longe lateque pervagatum dicit: "Errat homo, donec studet" (Es irrt der Mensch, solang er strebt). Cuius proverbii recordatus sum, cum legerem Rumoris Varii fasciculum 7+8/87! Ubi enim in eius pagina 85 facete lepideque dictum Danielis Weissmann "De monacha et monacho" inscriptum legere coepi, statui verbum "et" titulo inscriptum littera "t" carere; tum iterum horruī, ubi in paginae 86tae propaenultima linea verbum "pīgantur" legi: quod verbum enim - hercle! - recta forma "pingantur" imprimi debuit.

De his mendis commissis - et de eis, quae prioribus fasciculis evenerint et de - quae Deus vortat - futuris nos excusamus, cari legentes! Quid vobis dicam, quo minus nobis propter ea irascamini? Solum haec:

Nosmet ipsi, qui Rumorem Varium edimus, maxime miramur talia menda haud vitari posse videri: Fiunt enim tum et iterum, quamquam omnes textus Latinos semel et iterum et tertium perlegimus, menda typographica quaerentes, inventa autem emendantes, priusquam novum libellum Rumoris Varii impressum officio postali, ut ad legentes mittatur, apportamus...

Habemus autem aliud proverbium notissimum: "Nullum malum sine bono" (In jedem Uebel verbirgt sich etwas Gutes). Profecto res se ita habet, cari legentes: Futuris enim libellis, quodcumque necesse erit, sub titulo "Errata" ea verba emendata publicabimus, quae in Rumore Vario prius edito falsa forma impressa seu a nobis ipsis - heus, sero! - inventa seu a vobis domui editoriae litteris nuntiata. Talis nuntii exemplum hanc praefationem subsequens invenitis... Nonne problematis nostri haec est optima solutio? Nonne laudabilis? Valete!

U. Aeschlimann
Udalricus Aeschlimann

Nathanis sapientis parabola de tribus anulis
vel
de mentis humanae finibus in veritate cognoscenda

Tractationis pars finalis

Illa fabula et imprimis parabola de anulis composita est in superbiam et arrogantiam, ne dicam dementia, eorum, qui existimant unam religionem tantum -scilicet suam- veram esse et propterea omnes alia credentes cogitantesque, qui dogmata illorum sine ulla dissensione (16) temere non accipiunt, quasi haereticos persequendos et summa vi aut convertendos aut penitus excidendos (17) esse. Isti furore religioso capti scientiam veritatis a se ipsis solis occupatam opinantes non intellegunt veritatem maiorem esse quam ut mente hominum totam cognosci possit, quia nos homines numquam totam veritatem, sed singulos illius aspectus tantum cognoscere possumus. Nemo mortalium scientiam veritatis totam occupare potest, et id non solum ad res religiosas pertinet. Ut imagine utar: Veritatem figura sphaerae (18) similem esse puta! Cuius semper quandam partem -nobis adversam- videmus, aliam autem -nobis aversam scilicet- non videmus, prout ubi quisque nostrum versatur. Non fieri potest, quin aliquis sphaeram ex omnibus partibus simul videat et integrum eius aspectum habeat. Pariter singuli homines unam partem veritatis vident neque quisquam affirmare possit partem terminatam (19) ex suo loco visam solam et quasi totam veritatem esse, partes autem ab aliis locis visas falsas esse.

Quomodo autem veritatis scientia, quam numquam totam assequi possumus, agenda tamen est? Locum, quo versamur, mutemus! Circum sphaeram eamus et eam ex diversis locis spectemus! Communes inquiramus, cum aliis communicemus ea, quae nos videmus, et ab illis vicissim accipiamus, quae ex suo loco vident. Cogitationes aliorum non damnemus, sed colloquentes alii cum aliis non solum ipsi nostras cogitationes enuntiemus, sed etiam interdum taceamus et aliis patienter atque sine praeiudicata opinione (14) aures praebeamus. Taliter agentes paulatim sapientiores erimus, et nostra et aliorum scientia augebitur. Veritati appropinquabimus nobis conscii tamen nos omnes partem tantum

sphaerae videre. Quod scilicet fieri non potest, si una pars inquirentium a priori veritatem sibi occupat postulatque.

Illud Mani Matteri (illius iuridici Bernensis propter carmina sua celeberrimi, quorum nonnulla in prioribus libellis Rumoris Varii divulgata sunt), quod nuper legi, mihi in mentem venit: "Cum quis e ratione (20) quadam, cui non consentimus, suas considerationes faciat, tamen illae nobis sine pondere et usu non sunt. Forsitan illinc res videat, quae nobis e nostra ratione (20) effugiunt." Non omnia, quibus non consentimus, ea sola de causa, quod non consentimus, necessarie falsa et oppugnanda vel delenda sunt.

Ecce quoque dictum Pauli Picassi (Hispanice: Pablo Picasso), illius pictoris clarissimi Hispanici: "Si unus solus veritatis aspectus esset, fieri non posset, quin de eadem re centum imagines pingerentur."

Nemo prohibeatur, quin illud numen, quod hominibus mortalibus potentius maiusque est, credat et colat, sive deum sive naturam rerum sive fatum sive fortunam appellet. Quin etiam, quod verum ducit, amet, sed sibi conscius sit illud non absolutum et solum toti mundo valere. Alia -non peiora!- cogitantes ne despiciat neve eos sine exceptione ad suam religionem et sua dogmata convertendos esse existimet. E tali furore maxima scelera, bella, caedes commissa sunt - nomine dei. Quam blasphemiam re vera! Acerrimus quisque, qui vi convertebant, in carcerem mittebant, excruciabant, interficiebant, gubernatores sceleratissimos adiuvabant, bella crudelissima movebant in haereticos nominatos ea sola de causa, quod illi, quos persequerentur, alia (saepe ad eandem religionem pertinentia et in minimis rebus tantum differentia) credebant - isti acerrimi fanatici, qui maxime pios se putantes scelera sua excusabant se omnia nomine dei fecisse dicentes, potius blasphemiam maximam commisisse mihi videntur. Propter religiones vel parvulas differentias de dogmatibus unius religionis rixari vel alios alios interficere - quam dementia! Ille fatalis error dum manebit existimans unam religionem solam veram et summa contentione propagandam

esse, numquam pax erit inter homines.

Furor autem fanaticus sive de religione sive de aliis rebus semper maximum malum erit, quod hominibus mentem claram et sanam eripit et caeca saevitia omnia, quae non omnino suis sententiis consentiant, penitus excipere studet. Itaque parabola Nathanis nostris temporibus non minus digna est legendo et memorando.

Daniel Weissmann

Wörter:

16 dissensio,-onis,f.	Meinungsverschiedenheit, Abweichung
17 excidere,-cidi,-cisum 3	ausrotten, vernichten
18 sphaera,-ae,f.	Kugel
19 terminatus	beschränkt, begrenzt
20 ratio,-onis, f.	Standpunkt



ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
7+8/87	84	an anno 1724°	ab anno 1724°
	85	De monacha e monacho	De monacha et monacho
	86	pigantur	pingantur
	76	viritate	veritate

RVMORI VARIII domus editoria

Litterae ad legentes

DE RVMORE VARIO INSEQUENTI ANNO X ANNOS NATO

Domus editoria Rumoris Varii legentibus s.d.p.
Insequenti anno - ut diligenter accurateque indicamus: die XXVIII° mensis Februarii anni MCMLXXXVIIIi - noster libellus X annos natus erit, cari legentes! Nos, qui Rumorem Varium edendum curamus, hunc diem natalem dignum esse censemus, ut celebretur editione Rumoris Varii fasciculi 1+2/88 praecipuā, aliter ac solitā, aptā ad aetatem iuvenilem, mirabilem nostri nuntii periodici Latini celebrandam! Nonne etiam vos consentitis, cari amici? Non dubitamus, quin ita faciatis; nam quis Rumor Varius adhuc fuisset, quis nunc esset, quis futurus esset sine auxilio vestro? Quis sine vobis, qui textibus Latinis innumerabilibus domui editoriae, ut divulgentur, missis semper curetis, quis sine vobis curaverit, ut noster libellus adhuc semper vivat, floreat, crescat?

Quid autem ipsi nostro Rumori Vario maiori muneri natalicio esse possit quam editio praecipua, egregia fasciculi (i.e. fasciculorum 1+2/88) ab omnibus amicis confecta, editio enim unius fasciculi, qui non modo symbolas solitas notasque continebit (quamvis sint etiam hae semper dignae, ut legantur!), sed etiam Rumori Vario gratulandi causa scriptas?

Animo nostro tali modo ratiocinati decrevimus, ut desiderium supra descriptum una vobiscum in factum vertamus:

Fasciculis 1+2/88, qui erunt in memoriam diei natalis decimi Rumoris Varii editi, titulum **ORDO RVMORI VARIO X ANNOS NATO CONGRATVLANTIVM** inscribemus, sub quo gratulationes legentium Latine scriptae, nobis missae apparebunt...

Nonne haec idea diei Rumoris Varii festo futuro digna? Respondete ei litteris, cari legentes, sive formā

gratulandi, sive aliā! Gratias vobis iam nunc agimus.
Valet!

Dabamus Turici, die IV^o mensis Septembris a. MCMLXXXVII^o

RVMORIS VARIII domus editoria



GRATIARUM ACTIO

Ille dies XII mensis Iunii anni MCMLXXXVII prior, alter ille XXII mensis Iulii lapidibus candidioribus signandi nobis sunt. Curnam hoc praedicem rogatisne, amici? Vos sciendi avidos suspensis animis longiore exspectatione vellicare nolo, sed statim vocabula prima mea explano. Meministis nempe me in "Rumore Vario" (in fasciculo 61) aliquid scripsisse ut succurreretis, o sodales! Vos igitur chartulas, quas rogaveram, benigne misistis in quibus scripsistis vos quoque monumentum in Latinitatis honorem erigi velle.

Tempus iam advenit ut vobis referrem quid inde exiisset. Nam chartulas plerasque iam collectas, cum sentirem eas iam rarissime pervenire, diurnariae cuidam ostendi. Atque ille dies XII mensis Iunii supra memoratus is dies est quo huius diurnariae scriptum in commentariis "Sud-Ouest" inscriptis de petitione nostra divulgatum est: Diurnaria enim nobis vere favit, chartulas valde admirata est, confirmavit iustum esse et aequum quod rogabamus.

At alter ille dies XXII mensis Iulii supra memoratus quoque est is dies quo magister urbis, his rebus cognitis, me tandem ad se admittere voluit. Omnibus viribus contra quandam anxietatem in animo meo colluctabar cum ad hunc conventum irem: Chartulas vestras (quae CCCXXVIII ex omnibus terris pervenerunt) in viminea arcula condideram: Ad municipales aedes progrediebar haud secus ac legionarius miles cum impedimento suo; vel, quo rem rectius dicam,

chartulae vestrae nec non argumenta sententiaeque quae mente convolvebam, mihi erant arma et tela quibus consilium nostrum defensura et pugnam nostram pugnatura eram.

Ubi vero in magistri tablinum inii, armis telisque opus non fuit: Nam ipse statim archisello curruli relicto ad me sua sponte amicaliter processit et mihi nuntiavit se socium nostrum in monumento Latinitatis honorifico erigendo iam esse velle. Sic nullo gladio stricto, nullo verbo hortatorio addito, pugna nostra victa est. In colloquio nostro pacti sumus monumentum illud intra annum MCMLXXXVIII erectum iri; nam usque ad hoc tempus exspectandum erit, ut artifex monumentiscalptor primum inveniatur, ut deinde is delineamenta sua proponat stipendiumque suum aestimet, ut denique in municipali concilio quod mense Decembri anni MCMLXXXVII habebitur nummi necessarii dispensentur.

Nonne recte praedixi illum diem lapide candidiore signandum esse?

Vobis, benevoli animosique Helvetii, qui mihi tanto auxilio fuistis, gratias ago maximas, et praesertim "Rumoris Varii" editoribus, qui scripta mea ediderunt et per eos opes ferre vos omnes potuistis. Aequum vero erat incolas Helvetiae, quae intra fines suos societatum internationalium sedes libenter et assidue accepit, huius consilii participes esse, quo Latinam linguam inter nationes adhibendam promovere volumus. Praeterea vos, qui civitates foederatas habetis et linguas varias quoque, optime experti estis et quotidie experimini quam utile Europae foederatae futurum sit lingua Latina uti vinculo.

Postquam tandem, si Deo placuerit, monumentum aedificatum erit, vos monebo ut id visere possitis!

Etiam etiamque valetate atque Latinitatis vexilla excelsa una proponamus!

Scriptis Genovefa Immè.



DE LIBRO QVODAM VERE SINGVLARI

"BELLVM HELVETICVM"

Nolite, cum hunc titulum legatis, timere ne quod bellum vestris finibus gentive vestrae praesenti, quae societates paci inter omnes gentes servandae patrocinari generosis animis solet, imminere significare voluerim; sed bellum sic memoravi quod maiores vestri, o nobilis Orgetorigis Helvetiorumque ceterorum proles, contra Caesarem fortiter sustinuerunt. Nam vos tam magnanimos esse scio ut nullum dolorem contra Caesarem in animis alatis, sed eum pro scriptore recentissimo habeatis colatisque. Itaque de libro quodam vere singulari vobis pauca referre volui, qui et omnibus Latinitatis amatoribus magni momenti et vobis fortasse, cum de historiis antiquis vestris agatur, etiam maioris momenti opus apparere debet.

Nam nuper editus est in Germania (Ed. Spectra-Multi Media, D - 4270 Dorsten) 1 liber ratione pictarum historiolarum constitutus (ut mos nostra aetate est eis - iunioribus et senioribus ipsis quoque - quibus textus nudus continuusque austerior videtur); in hoc autem libro verba in bullis inscripta sunt ea ipsa quae C. Iulius Caesar in XXIX primis Commentariorum suorum de Bello Gallico scriptorum capitulis adhibuit; nam Rubricastellanus, vir doctissimus et ingeniosissimus, qui huius libri auctor est, pauca sua addidit, formas aliquas recte mutavit (de personis et verborum temporibus modisque) ut stilo directo aptarentur; textum vero Caesaris quam fidelissime servare voluit. Lectori, cum paragraphi capitulaque in imis paginis sedulo referantur, atque continuus Caesaris textus in ultimis paginis integer iteretur, vere facile commodumque est sentire quid servatum sit quidve paulum differat.

Imagines quoque, a Fabro delineatae, et iucundae sunt et maxime idoneae quibus res antiquae recte cognoscantur. Pretium est nummorum Germanicorum 19,80. Titulus totius seriei, cuius hic liber primus est, hic erit: "Scriptores antiqui Romani imaginibus ornati". Huius ipsius libri titulus: "Caesaris Bellum Helveticum".

O fortunatos nimium hodiernos discipulos, quippe qui Caesaris relationem in tali libro iucunde libenterque

legere possint! Nec minus fortunatos magistros, qui tale doctrinae instrumentum, in quo iucunditas cum accuratissima diligentia et scientia aequae coniungitur, in discipulis docendis adhibere possint!

Scriptis Genovefa Immè



PRONVNTIANDVM EST SPECTACVLVM PLAVTINVM....

scilicet pronuntianda est pars "Militis gloriosi". Et si non linguā Latinā (sed dialecto Helvetico), tamen cum musica, canticis multisque agitationibus ridiculis. Titulus spectacula erit

"Der Mileskrieg" ("Bellum Miles"),

argumentum actūs secundi commoediae (fabula de gemina dolosa), expositio plena licentiarum, musica dulcissima, actores amatrices amatoresque et finis improvisissimus surrealissimusque.

Dies et loci spectacula:

Baden (Aquis Helveticis), Teatro Palino, dies Veneris XXX Octobris et sextus Novembris, dies Saturni XXXI Octobris et septimus Novembris. Initium horā 20.30 (vicesimā et dimidiā).

Zürich (Turici), Keller LXII, dies Veneris XIII et XXVI Novembris, dies Saturni XIV et XXVII Novembris. Initium horā 20.30 (vicesimā et dimidiā).

Ampliores informationes et reservationes:

Lorenz Belser, Oerlikonerstrasse 44, 8057 Zürich
(Tel. 01 / 312 63 27)

Aenigma

1. pecunia acquirat
2. sacerdos Persicus (Dat.)
3. ducar
4. lecti iugalis

Hoc aenigma composuit
Daniel Weissmann

1	2	3	4
2			
3			
4			



QVIS, SENTENTIA VESTRA, MELIVS COGITAT?

In exedram octo mulieres conveniunt. Accidit ut unaquaeque illarum ostendet varium comarum cultum.

Mulieres omnis aetatis superbae pulchritudine sua et garrulae statim iactare certatim incipiunt oppexus sui excellentiam.

Incipit Barbara, adolescentula cui flava caesaries omnino dissoluta et passa molliter velamentum fere in sericas magnificasque undas dispositum super tergum usque ad latera effingit: "Non est dubium quin sparsi capilli sint ornatus muliebris pulcherrimus, simplicissimus et natus. Nonne poetae omnium aetatum speciem venustatemque promissorum solutorumque crinium versibus quam suavissimis laudaverunt? Cadentes aquas et flumina et pluvias simulant; ad hoc ipsum copiosum capillamentum nobis mulieribus attributum videtur ut prima scintilla blandimenti in cordibus accendat virorum. Numquam sinam ut forfices auferant minimam partem caesariei meae: utinam mox videam comam omnino me involventem usque ad suras et talos. Profecto capilli mei invidiae sunt eruntque plerisque mulieribus".

Respondit Ursula: "Admiramini comam meam ita curtam ut nuda appaerant aures et cervices et frons: num venustatis meae aliquid evanuit exsecto capillo in more fere masculino et puerili? Minime puto, siquidem sectatorum pompa mihi est: nihil contulerim commoditati extremae maxime tonsae comae pro alacritate temporis nostri. Mihi desunt vitia quae occultem: ecce totus vultus meus".

Tertia adloquitur Christina: "Sit semper modus in rebus. Existimo praeferrere auream mediocritatem, sicut Horatius optimus pater admonuit: nec demissi et soluti crines immodice in dorsum pectusque cadentes nec masculinus ornatus me delectant. Venustas leposque gratiaque vultus feminei optime confirmati videntur si capilli vix crispatis et in umeris consistentes oris lineamenta suaviter obumbrant".

Renititur Catharina: "Quid pulchrius mirabiliusve est coma innumeros in gradus atque anulos circirrosque tenuissimos quam diligentissime a peritissimo tonsore compta et formata? Sive fusci sive flavi cirri os exornant, motum maris morosum imitantur et folia flabris agitata. Nimis fastidii mihi afferunt directi levesque capilli ut marmor". Minime ei adsentitur Theresia, elegantissima virgo: "Quid obicium calamistratae undulataeque comae excellentiam simplicitati capilli qui ipse laetus germinat? Tamen puto non semper omnibus convenire caesariem solutam aut cincinnatam, sed ad dominas dominulasque quae elegantiam decusque valde profitentur exhibentque aptissime convenire crinem fluxum passimque dispersum suscitare accurateque in vertice aut in cervicibus colligere ac taeniola colorata nodare. Nihil elegantius splendidiusque est coma fabre conglutinata liquoreque alligatorio quam diutissime firmata".

En Iohanna, venustissima femina: "Minime mihi placent compacti, conglutinati et extensi crines. Permittamus nodos et torulos - absit invidia verbis - uxoribus aetate propectis: contexti capilli, meo iudicio, maxime conveniunt puellis et adolescentibus. Quis vestrum oblivisci potest quot puellarum contextos crines e pergulis maenianisque defluentes servavisse amantes infelices, ut Iuliola capillos longissimos Romeo suo demisit?"

"A te dissentio" - affatur Clara - "quod capillos nectere

et conserere negotium est diutinum ac obsoletum: vide crines meos tam comptos et praecisos ut diligenter sequantur in orbem circulatimque capitis totum lineamentum nec aures frontemque denudantes disponantur circum caput et os summo decore maximaque convenientia. Hic oppexus (Pagenkopf) medius, simplex, venustus omnibusque aptus sane videtur".

Ecce denique sententia Margarithae, quae operaria est:

"Mihi autem neque tempus neque voluntas sunt ut deducam crinem pectine. Pro certo habeo simplicitatem maximam esse dotem muliebrem. Sic deliberavi medicamenta et omnia calamistra deponere et omnia genera fucorum aliis mulieribus levioribus et laudum virilium cupidis relinquere. Incompto capillo videorne? Nec buxo nec penicillo nec unguentis mihi opus est: naturalis me decet capillus, tamquam vexillum moveatur a vento dulci lenique".

Convenit necopinato mulier cui crines ad capitis cutem omnino tonsi et retonsi sunt: vel supercilia quam accuratissime rasa, cilia quam diligentissime manu experta exsecta. Tota nuda patet calva, nec pilus unus videtur ab oculis ad occiput. "Nonne pulcherrima omnium vestrum appareo? Nonne enitet oculorum caeruleorum fulgida lux et omnis oris color et labrorum rubor? Sine ullo timore exsecate capillos, meae carissimae amicae!!! Ego morem sequor, ego unica modernissima et recentissima sum. Calva dicor? Quid interest? Integra venustas mea manet sine ullo capillo".

Quis, dilectissimae lectrices, sententia vestra, melius iudicat cogitatque? Agite, timidae Latinitatis amantes, dulcissimae matronae et dominicellae, aperte dicite quid sentiatis de oppexu, mihi aut RUMORI VARIO scribite ut sciam cui palmam deferam.

Florindo Di Monaco
Via Michele Monaco 152
I - 81054 San Prisco
(Caserta)
ITALIA



OMNES, QVI RVMORI VARIO SYMBOLAS DIVVLGANDAS MITTATIS, ROGAMVS....

... ut et nomen et inscriptionem cursualem vestram non modo involucro, sed etiam manuscripto ipsi inscribatis. Involucra enim in domo editoria Rumoris Varii abiciuntur, manuscripta sola a nobis servantur. Cum autem alia ratione facere non possimus: qua via vobis pecuniam pro symbolis vestris Rumore Vario divulgatis anno exeunte transferamus, si nomina inscriptionesque harum auctorum non novimus? Gratias vobis maximas agimus, si huius consilii memores esse velitis, quandocumque nobis scribatis. Valete!

RVMORIS VARIII domus editoria



EGO ET ORDINATRVN

Cum docta Roberti Maier scripta de computatris in his commentariis edita legissem, mihi in mentem venit de ordinatris quoque scribere, non vero illo docto modo (nam ignara in arte informatica heu sum) sed modo proprio, ita non ut lectores scientificè docerem, sed ut ridicula facta mea hilariter narrarem. Atque ut titulum meum recte sequar, prius de me, dein de ordinatro meo dicam.

Primum omnium aequum est vos monere, lectores, me in omnibus manualibus operis incallidissimam et coram omni machinamento timidissimam esse solere: Autoraedam vehere nunquam potui; birotae, etsi uti scio, multo minus confido quam pedibus meis; conditorum ciborum pyxidylam sine vulnere meo aperire vix possum; immo omnes cultros quos domi habeo obtusos esse malo, ne sit periculum meimet vulnerandae! Tanta est incalliditas mea! Itaque haud semel

tristis mecum cogito multo commodius mihi futurum fuisse si antiquorum Romanorum temporibus vixissem, quia servis facile et humane explanavissem quid vellem, nunc contra nec manibus meis res efficere, nec machinamentis modernis servis uti scio.

Quomodo fiat ut et talis sim et ordinatrum habeam quaeritisne? Respondeo hoc a materno amore procedere meo. Atque si hoc responsum arcanum vobis videtur, rem magis perspicue explanatura sum: Filius est mihi doctor informaticus, de his materiis valde flagrans et investigans, cui ars informatica fere tam cara est quam mihi lingua Latina. Quodam die, cum hic domum meam venisset, fortasse paulo temerius dixi me de machinamentis informaticis ad textus imprimendos aptis audiisse; eum rogavi quid de eis sentiret, cum adhuc sola machinula scriptoria electrica uterer (Quod si nunc, lectores irrisores, me rogatis quomodo ego in machinamentis tam incallida hac machinula, non manu mea scribere solita sim, quid respondeam? Vel me, ad narrationem hilariorem faciendam, incalliditatem meam, quae vera est, etiam auxisse et amplificavisse, vel me nescioquo miraculo hac saltem machinula uti didicisse respondebo; hoc vobis satis sit! Egomet utrum verius sit haud plane scio!) Ut ad rem praesentem reveniam, filium, ut argumentum ei iucundum in colloquio praeberem, de his machinamentis ordinatoriis quae "imprimentia" dicuntur interrogavi; qui statim hortatus est ut unum experirer; illa optima machinamenta esse commodissimaeque, quae non solum machinulae meae electricae strepitum vitarent, sed etiam opus multo facilius et celerius efficerent. Pollicitus est se pro me omnia documenta praeconalia evoluturum, diligenter lecturum, me postea edoctrum.

Quid plura? Laetus erat quod matrem ad studium suum allicere posset; ego laeta eram quod ad eius studium adpropinquare possem; et ceterum, cum ita puerili animo sim ut etiam adulta Patri Natalicio quasi confidere mihi videar, speravi vel eum ipsum sensurum postea machinamenta difficiliora ad me esse, vel (etiam melius) fore ut ex improviso machinamento ab eo proposito uti scirem. Utique rem ad posterum longinquum retrahebam, in somniis meis praesentibus, ut soleo, manebam. Quatuor post diebus,

filius me telephonice vocavit: se omnia documenta perlegisse; aliquid pretii tolerabilis et usus facilis mihi invenisse; me posse securam esse; et cum responderem me exire non posse propter familiaris valetudinem, respondit se id iam praecogitavisse; se velle pro me ad tabernam ire, machinam suis oculis inspicere et experiri, mihi (si commoda esset) autoraeda sua portare.

Sic accidit ut ordinatrum "Amstrad" domum meam penetraret!


Ante illud monstrum trepidabam ut si ante Chimaeram stetissem; donec vero filius mihi adfuit, qui per quinque fere horas constanter et humane me edocuit, monstrum mansuefactum esse mihi videbatur; vel filio sicut novo Thesaeo Herculeve monstrorum domatore adstante, nihil nimis timebam, sed in securitate et tuto me sentiebam et machinamentum audacter tangebam; ubi vero primum ille proficisci debuit (nam haud procul Lutetia Parisiorum vivit, ego in meridionali Gallia) pavore ingenti permota sum: Machinamenti linteum viridi colore nitidum mihi haud dissimile visum est vultui monstruoso oculis fulgurantibus; globuli, quos tangere et pellere debebam ut iussus meos monstro exprimerem, quasi contumaces servi mihi visi sunt; in terrore meo, modo unum, modo alterum, si non statim obtinebam id quod volueram, nervose pellebam; fulgure celerius litterae impressae movebantur, delebantur, iterum apparebant; re vera mihi in mentem venit illa fabula "Magus tiro" inscripta, quam Wolfgangus Goethe invenit, Dukas modis musicalibus aptavit, et in ea infelix magi famulus, cum scopa magice uti voluerit ut aquae situlas adferret ad labrum implendum, dein nescit quomodo scopam consistere iubeat; ideoque aqua etiam etiamque adfertur, inundatio fit: Haud secus machinula me formulam magicam ignorante textus etiam etiamque iterare mihi videbatur; postea terribiliter sibilabat, serpentis instar, si quem globulum inscite tangebam; nec poteram obtinere ut editionis finem et machinae exitum invenirem!

Benigne fecit filius quod bis me telephonice vocavit rogans quid auxilii vellem; cum nec filium ordinatri nec filium telephonii satis longa essent, ego inter unum alterumque adsidue cursitabam, ut in machinamento experirer quod filius monebat, dein ut ei referrem quid inde fieret! Marathonica fere hac occasione facta sum! Multo vero

securiorem me sensi quod hoc auxilium obtinui. Iam igitur hanc relationem isto terribili instrumento imprimere volui...et spero eam sic legibilem fore benignis "Rumoris Varii" moderatoribus. Quod saltem in votis.

Atque ut ultionem caperem hilarem pro angoribus quos ante illud monstrum senseram, haec ridicula experimenta haesitationesque meas vobis referre volui, quae vos cum risu lecturos spero.

Genovefa Immè scripsit.



DE COMPUTATRIS

Tractationis pars quarta:

Introductio in linguas programmationis superiores et pauca de lingua programmationis, quae "BASIC" appellatur

I. Introductio in linguas programmationis superiores

Iam cum de constructione deque computandi ratione computatrorum essemus locuti, nonnulla de lingua machinali diximus.

Lingua machinalis est unica lingua programmationis, qua computatrum directe gubernari potest. Cum autem linguam machinalem discere atque adhibere difficillimum sit et linguae machinales singulorum computatrorum diversorum constructionum causa maxime inter se differant, iam brevi post inventionem computatri linguae programmationis fictae sunt, quae magis ad usum spectabant quam ad constructionem computatris. Hae linguae "linguae programmationis superiores" nominabantur. Nunc autem aliud exoritur problema. Ut iam diximus computatrum solum lingua machinali dirigi potest. Sin aliam linguam adhibemus, programmata illa alia lingua scripta primo in linguam machinalem

transvertantur opus est. Ad hanc rem perficiendam programmata linguae machinalis confecta sunt. Exstant nunc duae diversae rationes, quibus programmata linguae superioris in linguam machinalem transverti possunt:

Primo totum programma ante executionem in linguam machinalem transverti potest. Programmata machinalia, quibus hoc fit, programmata compilatoria nominantur. Deinde mandata singillatim secundum ordinem, quo in programme subsequuntur, transverti et expleri possunt. Ad hoc perficiendum programmata interpretatoria adhibentur. Maximum commodum linguarum programmationis superiorum est, quod in quoque computatro adhiberi possunt, si exstat programma compilatorium aut interpretatorium ad linguam adhibitam transvertendam.

Exstant hodie iam multae linguae superiores, quarum maximi momenti sunt FORTRAN, PASCAL, COBOL, BASIC.

FORTRAN prima lingua programmationis superior magni momenti fuit. Illa anno 1957° primum divulgata est. FORTRAN imprimis ad problemata scientiarum naturalium solvenda adhibetur.

PASCAL, quae lingua est valde moderna, secundum artem docendi a professore Wirth papa artis informaticae confecta est. Illa lingua ob facultatem programmationis structuralis hodie magni aestimatur et ubique adhibetur.

COBOL imprimis ad magnas copias datorum administrandas apta est. Qua de causa lingua COBOL praecipue in commerciis usitata est.

BASIC est lingua simplex ac universalis. Omnia fere microcomputatra lingua BASIC programmari possunt. Hac de causa lingua BASIC toto in orbe usurpatur, etiam in commerciis et technica.

Sunt tres programmandi fundamentales structurae, quibus omnium problematorum solutiones illis linguis exprimi possunt:

Primo : series sive sequentia mandatorum mandata secundum sequentiam praescriptam deinceps percurruntur.

Deinde: alternatio secundum condicionem praescriptam solum unum ex compluribus mandatis expletur.

Tum : iteratio
secundum condicionem praescriptam unum aut plura
mandata identidem explentur.

His tribus structuris principalibus una cum certis mandatis
solutiones ad omnia problemata aptas invenire possumus,
quae problemata in parvas disceptationes inter "est" et
"non est" partiri nobis successerit, quia computatrum solum
inter "fluentum fluit" et "fluentum non fluit" distinguit,
ut iam diximus.

Mandata, quibus linguae programmationis superiores
nituntur, sunt varia. Maximi momenti est assignatio
valoris, id est certo loco memoriae valorem numerium vel
seriem characterum assignare. Alia magni momenti mandata
sunt indita ac edita valorum vel serierum characterum. Alia
mandata sunt calculationes velut additio, subtractio,
multiplicatio, divisio et similes operationes.

II. Pauca de lingua BASIC

BASIC est lingua programmationis, quae technica
interpretativa utitur.

Mandata linguae BASIC et intra et extra programmata
apparere possunt. Extra programmata mandata directe
synthesi plectrorum induuntur ac, plectro -RETURN- vel
-ENTER- presso, statim explentur.

Mandata autem plerumque intra programmata apparent.
Programmata linguae BASIC lineis constant, quae programme
indendo numerandae sunt. Quae lineae programmatis mandatis
constant. Post inditum lineae semper plectrum -RETURN- vel
-ENTER- premendum est. Sequentia linearum et eo sequentia
mandatorum solum linearum numeris destinatur.

Nunc mandata linguae BASIC tractabimus:

RUN incipit cursum programmatis in linea prima. Hoc
mandatum plerumque extra programmata adhibetur.

STOP vel END cursum programmatis finiunt. Haec mandata
solum intra programmata adhiberi possunt.

PRINT: Omnia, quae post PRINT scripta sunt, sive numeri,
sive variables, sive characteres in albo televisifico
scribuntur. Characteres virgulis duplicibus includendi sunt

(e.g.: PRINT "LATINITAS").

GOTO: (E.g.: GOTO 100) Computatrum in linea indicata (hic
100) cursum programmationis continuat, non in linea
proxima.

LET est assignatio valoris, id est variabili (vel loco
memoriae) valor numerius vel series characterum
attribuitur.

(E.g.: LET A=3)

Hoc mandatum licet etiam omittere.

(E.g.: LET A=3 est idem ac A=3)

INPUT: Computatrum cursum programmatis interrumpit et
inditum expectat. Hoc signo interrogationis indicatur.
Tunc aut valor numerius aut series characterum indenda est.
Variables series characterum signo dollario (\$) post nomen
variabilis indicantur (e.g.: A\$="LATINITAS").

(E.g.: INPUT A vel INPUT B\$)

IF...THEN...: (E.g.: IF A 3 THEN PRINT "A EST MAIUS QUAM
3") Post IF, id est "si", condicio scribitur, quae
probatur. Si sententia condicionis vera est, mandata, quae
post THEN scripta sunt, explentur.

FOR...NEXT est cyclus. (E.g.: FOR M=1 TO 5
... (mandata)
NEXT M)

Id est: variabilis M inde ab 1 usque ad 5 numeratur et tot
mandata explentur. Si M maior est quam 5, computatrum in
postera linea pergit.

NEXT significat finem cycli.

Mandata calculatoria:

+	additio	() unci rotundi
-	subtractio	> maius quam
*	multiplicatio	< minus quam
/	divisio	= nota aequalitatis
vel **	potentia	et assignatio valo- ris

SQR radix etc.

Nunc parva exempla programmationis demonstrabimus:

primum exemplum: 10 PRINT "Quot annos habes?"
20 INPUT A
30 IF A 100 THEN GOTO 120
40 IF A 20 THEN GOTO 100
50 IF A 10 THEN GOTO 80
60 PRINT "Es puer vel puella"
70 END
80 PRINT "Es iuuenis"
90 END
100 PRINT "Es adultus sive adulta"
110 END
120 PRINT "Es senex vel anus"
130 END

aliud exemplum: 10 FOR I=1 TO 5
20 PRINT "Latinitatem amamus"
30 PRINT "-----"
40 NEXT I
50 END

tertium exemplum: 10 PRINT "Inde A et B"
20 INPUT A
30 INPUT B
40 LET C=A+B
50 LET D=A*B
60 PRINT "Summa est ";C
70 PRINT "Productum est ";D
80 END

Hactenus de lingua programmationis BASIC. Subsequenti parte nostrae orationis, quae proximo Rumore Vario divulgabitur, pauca de lingua FORTRAN dicemus et exemplis demonstrabimus.

Robertus Maier et Matthias Heyden

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift


AZ

8050 Zürich

9+10/87

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 67